

catur, licet in illo non consistat, sed solum fundamentum illi præbeat respectu nostri intellectus non potentis aliter explicare illam terminationem. Quia tamen actus divinus non habet connexionem necessariam cum objecto libere volito a se, ideo non sufficit sola cognitio, et penetratio divinæ essentiæ in se, et ut quidditas necessaria et præcise ad hoc, ut videatur ille actus liber, ut libere terminatur ad objectum, sed requiritur quod ipsa voluntas divina sic se manifestet, et ordinet ut decretum suum videatur ab isto, vel illo beato.

ARTICULUS III.

Utrum ex vi visionis essentiæ divinæ videantur a beatis aliquæ creaturæ?

I. Supponimus pro intelligendo puncto difficultatis duo. Primum dupliciter posse aliquid cognosci ex vi visionis divinæ. Primo formaliter, secundo causaliter. Formaliter, quando ex vi alicujus connexionis inter Deum, et creaturas cognoscuntur creaturæ viso Deo, vel eadem formali cognitione complectente utrumque ratione talis connexionis, vel inferente unum ex alio, tamquam ex medio manifestandi, et cognoscendi. Causaliter, quando alia cognitione attingitur Deus, alia creaturæ sine ulla connexionem aut illationem, et similiter alio lumine, quia scilicet cognoscuntur in proprio genere, et per species creatas, non in Deo, nec per speciem ipsam increatam. Dicitur tamen causaliter id haberi ex visione beata quia licet per ipsam formaliter non cognoscantur, sed per revelationes aliquas speciales extra Verbum, tamen istæ dantur a Deo intuitu illius visionis, et ratione ejus debentur, vel ab illa derivantur aut regulantur, sic enim

speciales aliquæ revelationes fiunt beatis, et Christus Dominus habet scientiam infusam, qua cognoscit omnia quæ per revelationem divinam cognoscibilia sunt extra Verbum, ut docet S. Thomas III p. quæst. XI.

II. Suppono secundo, quod visio aliqua potest attingere plura, vel quia concomitanter repræsentantur in eadem specie, et attinguntur in eadem cognitione, vel quia unum dicitur habitudinem aut connotationem aliquam ad alterum, sicut unum relativum se habet ad aliud, ut simile ad suum simile, non tamen unum relativum est medium cognoscendi aliud, quia non se habet ut causa vel effectus illius, sed potius sunt simul cognitione. Vel tandem unum se habet ut medium et ratio cognoscendi aliud, quatenus sumitur ex ipso ratio manifestandi aliud, et manifestando reddit illud cognoscibile per tale medium et per tale manifestativum. Primo modo repræsentantur plura in eadem specie, verbi gratia, in specie Angeli superioris repræsentatur equus et leo, et multæ aliæ species, non tamen una est ratio cognoscendi aliam, sed potest Angelus simul duas vel plures species concomitantes intelligere, vel etiam unam non intelligendo aliam. Unde non salvatur in hoc quod ex vi visionis unius naturæ specificæ videatur alia. Secundo modo potest quidem unum cognosci cognito alio, non tamen proprie dicitur unum se habere ut medium et ratio cognoscendi alterum, quia potius ut diximus sunt simul cognitione, quod autem se habet ut ratio et medium alterius, se habet ut prius illo in quantum tale. Et tamen etiam isto modo fieri solent plures demonstrationes quoad nos, quatenus uno cognito vel admissio non stat alterum non poni, sicut mathematicis fiunt plures demons-

trationes ex proportionem, æqualitate et similibus relationibus inter lineas, figuras et numeros. Tertio vero modo proceditur ex vi connexionis unius ad alterum, quatenus una veritas continet et manifestat alteram, et ad hoc requiritur connexio unius ad alteram tamquam medium et ratio illius, scilicet secundum aliquam rationem causæ vel effectus, vel repræsentationis, eo quod requiritur, quod aliquid se habeat ut prius vel posterius respectu illius; ubi autem intervenit ratio prioris et posterioris, aliquid causalitatis vel effectus reperitur, et ubi est causalitas, etiam est dependentia saltem in altero extremo causato.

III. Et in hoc consistit punctus difficultatis præsentis, an videlicet cognoscantur creaturæ per visionem beatam non solum causaliter, id est, causando et derivando ex visione beata distinctum lumen et species, quibus videantur creaturæ extra Verbum in proprio genere, sed etiam formaliter, per eandemmet cognitionem creaturas attingendo, et videlicet ut objectum secundarium visionis, et consequenter habendo Deum pro objecto primario, et prius cognitum est, videtur habere etiam rationem medii per quod cognoscantur. Quod si non habet rationem medii quo cognito et in vi cujus cognoscantur creaturæ, restat videre an illæ creaturæ videantur in Deo ratione alicujus habitudinis vel connotationis, vel ratione pure concomitantis ibi repræsententur sicut plures naturæ in specie universaliori Angeli superiores, an vero tandem repræsentantur in Deo ex vi visionis tamquam in causa vel medio prius cognito.

IV. In hac parte est celebris sententia quam p. Vazquez et plures ejus sectatores defendunt negantes, non posse creaturas cognosci in divina essentiæ, ut in causa seu me-

dio prius cognito. Ita affirmat hic dis. I, cap. VI. Et fundamentum est quia impossibile est Deum se habere ut medium et causam, qua cognita cognoscantur creaturæ, nisi inter Deum et creaturas intercedat connexio necessaria, ratione cujus Deus visus manifestet infallibiliter creaturas, si enim connexio ista non intercedit, bene stat poni unum non posito alio, ergo ex vi cognitionis Dei non infertur de necessitate cognitio creaturarum, et sic non est medium evidenter manifestans illas quia medium evidenter manifestans est illud quod per necessariam connexionem, et illationem manifestat. Sed inter Deum et creaturas non intercedit connexio necessaria, ergo. Minor probatur, quia id quod habet connexionem necessariam cum alio seu relationem transcendentalem ad illud, oportet quod desinente vel cessante eo cum quo habet necessariam connexionem, etiam desinat et cesset, alias non est necessaria connexio, si hoc sine illo subsistere potest, et salvari, sed divina essentia ita est absoluta et independens, quod etiamsi omnis creatura redderetur impossibilis, non desineret, ergo non habet necessariam connexionem cum creaturis possibilibus. Minor constat, quia divina veritas est multo firmior et immutabilior quacumque possibilitate creaturæ, quia hæc est veritas participata et derivata ab illa, tamquam infinite ab illa distans, ergo est multo minor et infirmior illa, ergo ex definitione hujus veritatis creatæ, non infertur desitio veritatis divinæ, alias penderet id quod firmius est ab eo quod infirmius, et imperfectius.

V. Hæc ratio ab oppositis auctoribus tamquam demonstratio magnificatur, et ex illa moventur ad negandum quod non solum beati, sed nec ipse Deus cognoscit creaturas in se ipso ut in causa et medio

cognoscente, et similiter neque futura cognoscuntur mediante decreto libero Dei juxta hanc sententiam, eo quod decretum quoad suam entitatem, et realitatem non habet connexionem necessariam cum re libere volita; quoad denominationem vero rationis non potest esse medium cognoscendi entia realia. Quæ autem inconvenientia sequantur ex eo, quod negetur Deum cognoscere creaturas in se ipso tamquam in causa et medio prius cognito, statim ponderabimus et infra disputatione XVIII.

VI. Secunda sententia admittit aliquo modo posse creaturas cognosci in ipso Deo, licet non tamquam in medio habente connexionem cum ipsis. Quod variis modis explicant, licet non multum inter se cohærentibus. Nam quidam affirmant Deum se habere ut rationem formalem motivam cognoscendi creaturas in ipsamet cognitione, qua Deus se cognoscit, eo quod veritates participatas Deus non cognoscit, nisi sub ratione formali primæ veritatis, quæ est immediatum specificativum intellectus divini, et similiter esse speciem repræsentantem creaturam, neque enim creaturæ repræsentantur Deo per speciem creatam, sed increatam. Quod communiter admittunt etiam illi, qui sequuntur sententiam patris Vazquez, de quo videri potest Arrubal hic disput. XXIX et XXX, XXXI; Ruiz de scientia Dei, disputatione decima; Herize tractatu de scientia, disputatione quinta, capite tertio; Fasolis ad quæstionem decimam quartam, articulo quinto, dubio primo, aliique non pauci; licet non desint etiam qui e contra affirmant, Deum immediate cognoscere creaturas in se ipsis, tamquam in ratione formali, neque indigere specie repræsentativa, sed se ipso omnia attingere. Alii vero dicunt Deum cognoscere posse cre-

aturas ut aliquid connotatum, et concomitanter importatum in actu divino, vel attributis divinis, quæ versantur circa creaturas. Ita concedit pater Alarcon tractatu secundo de scientia Dei, disputatione secunda, capite sexto, numero duodecimo. Denique alii ponunt differentiam inter Deum et beatos, et dicunt Deum, quia comprehendit suam essentiam, etiam in ipsa posse cognoscere creaturas, eo quod comprehensio non solum attingat ea quæ pertinent intrinsece et quidditative ad aliquam rem, sed etiam quæcumque pertinent ad ipsam etiam extrinsece, et hoc modo creaturæ pertinent ad Deum. Beati autem quia non comprehendunt Deum, sed solum quidditative attingunt, et quidditas Dei nullo modo pendet e creaturis, ex vi hujus cognitionis creaturas non cognoscunt.

VII. Tertia sententia, eaque communior inter theologos affirmat beatos cognoscere creaturas in Deo, tamquam in medio et causa prius cognita, cujus virtutem penetrando manifestantur effectus in ea contenti. Pro hac sententia stant omnes Thomistæ, qui videri possunt apud magistrum Gonzalez hic disput. XXXI, sectione prima, numero quinto, et apud theologos Carmelitanos hic tract. II de visione, disput. VII, dub. V. Sequitur pater Granados hic tract. VI, disp. I, sect. II; Molina super art. VIII hujus quæstionis, disp. V; Suarez lib. II de attributis negativis, cap. XXV, qui citat Sanctum Bonaventuram, Scotum, et alios. Unde pater Granados docet immerito a Vazquez istos auctores adduci pro se.

RESOLUTIO EX D. THOMA.

VIII. Sit conclusio. Beati per ipsam visionem beatificam formaliter

qua attingunt divinam essentiam possunt in illa attingere creaturas tamquam in causa et medio prius cognito non, tamen attingunt omnes, sed plures, vel pauciores, juxta majorem vel minorem penetrationem divinæ essentiæ. Servit etiam divina essentia tamquam species repræsentativa creaturarum mediate et supponendo objectum primum, quod est Deus primo repræsentatum, et attactum.

IX. Utraque pars scilicet quod beati videant creaturas in Deo tamquam in causam, et medio prius cognito ex D. Thoma deducitur in primis ex ista quæstione in articulo nono, ubi docet videri creaturas per essentiam divinam tamquam per similitudinem earum, et idem docet in quæst. VIII de verit. art. V et I part. q. LV, art. III ad III. Expressissime etiam docet in hac prima, parte q. LVIII, articulo ultimo: « Angelos videre creaturas in Verbo per eandem cognitionem qua Verbum vident. » Verba D. Thomæ sunt: « Angeli cognoscunt creaturas per duplex medium, scilicet per species innatas, et per rationes rerum in Verbo existentes, non enim videndo Verbum cognoscunt solum illud esse rerum quod habent in Verbo, sed illud esse quod habent in propria natura, sicut Deus per hoc quod videt se, cognoscit esse rerum quod habent in propria natura. Si ergo dicatur cognitio vespertina secundum quod cognoscunt esse rerum quod habent in propria natura videndo Verbum, sic una et eadem est secundum essentiam cognitio matutina et vespertina, differens solum secundum cognita. Si vero cognitio vespertina dicatur secundum quod Angeli cognoscunt esse rerum quod habent in propria natura per formas innatas, sic alia est cognitio vespertina, et matutina. » Ubi manifeste distinguit sanctus

doctor de cognitione creaturarum per species innatas extra Verbum (quæ etiam dici potest cognitio vespertina et causaliter orta ex visione Verbi, quæ est matutina) et de cognitione creaturarum in Deo, non solum sumendo creaturas eminenter, prout sunt ipsa creatrix essentia, sed formaliter ut sunt in propria natura creabiles, cognoscuntur autem etiam eadem visione qua Deus, et tamen dici etiam potest cognitio vespertina, quatenus tangit creaturas quæ sunt objectum secundarium in ipsa visione Dei, et sic quasi vespertinum objectum. Et tunc dicit D. Thomas quod eadem cognitione attinguntur, licet sint diversa cognita. Non potuit ergo manifestius S. Thomas contradicere opinioni Vazquez et oppositum statuere. Quod ipse pater Vazquez recognoscere videtur, nam cum in hac quæstione XII, loco supra allegato, putaverit secundum mentem S. Thomæ creaturas non videri eadem visione cum essentia divina, tamen ad illam quæstionem LVIII, art. VII dixit D. Thomam id aperte concedere, prout etiam notavit Arrubal hic disput. XXV, cap. III. Denique, videndus est D. Thomas infra quæstione XIV, art. XI, ubi inquit: « Cum Deus sciat alia a se per essentiam suam in quantum est similitudo rerum, vel ut principium activum earum, necesse est quod essentia sua sit principium sufficiens cognoscendi omnia quæ per ipsum fiunt non solum in universali, sed etiam in singulari. » Ergo utrumque D. Thomas attribuit divinæ essentiæ, scilicet quod sit ratio cognoscendi creaturas ut species seu medium repræsentativum, et ut principium activum. Non potest autem ut principium activum creaturas ostendere, nisi sit res prius cognita, nulla enim causa manifestat effectus suos nisi prius cognita

Videndus est de eadem re S. Thomas quæst. II de verit. art. IV, præsertim ad V et ad VIII.

PROBATIO PRIMÆ PARTIS CONCLUSIONIS.

X. Probandum nobis est, quod non obstante quod essentia divina realem respectum et dependentiam non dicat ad creaturas, habet sufficientem, imo maxime conducentem connexionem, ut sit medium et ratio cognoscendi creaturas, ad quod sufficit dependentia ex parte creaturarum ab ipso Deo. Et ratio est, quia causa quanto altior et independentior ab effectu, nec connexionem dependentiæ erga ipsum dicens, tanto magis effectus redditur dependens ab ipsa, et tanto magis effectus ad ipsam ut ad principium reducitur, et causa in effectum influit: ergo tanto est perfectius medium ad cognoscendum effectus non habendo connexionem dependentiæ, sed consequentiæ erga illos. Antecedens est certum, quia causa quanto est independentior ab effectu, tanto est actualior et excellentior in suo esse, utpote minus dependentiæ et imperfectionis habens, omnis enim dependentia imperfectio est: etiam est activioris virtutis, quia activitas fundatur et sequitur ad actualitatem. Quanto autem causa est activior, tanto vehementius et perfectius influit in effectum, et consequenter tanto effectus redditur dependentior, et subjectior illi, quia ratione influxus dependet effectus a causa, et consequenter ratione majoris influxus magis dependet. Consequentia vero probatur, quia medium seu ratio cognoscendi effectum per causam non est dependentia causæ ab effectu, sed e contra dependentia effectus a causa, si quidem dependentia causæ ab effec-

tu non pertinet ad perfectionem causæ, sed ad imperfectionem et inferioritatem, omnis enim dependentia quædam imperfectio, et limitatio est: manifestatio autem effectus per causam pertinet ad perfectionem causæ et fundatur in ejus virtute et continentia effectus. Cujus ratio est manifesta, quia causa in tantum potest manifestare effectum in quantum habet similitudinem cum illo, participaturque in effectu, sic enim ratione hujus continet effectum in se tanquam in principio talis participationis, et sic potest illum effectum manifestare tamquam aliquid sibi assimilatum, et a se participatum. Constat autem quod causam esse participabilem ab effectu non habet ratione dependentiæ ab illo, sed ratione perfectionis qua illum continet: nam et oppositi auctores negare non possunt, quod in Deo detur ratio causæ continens effectum, et ratio entis primi participabilis a creaturis sine connexionem dependentiæ ab illis, si quidem est causa prima illarum: ergo habet totum quod requiritur ad hoc quod sit ratio, et medium cognoscendi creaturas, scilicet ad similitudinem cum eis, et continentiam causativam illarum, cognitio enim unius per aliud sufficienter fundatur in similitudine et continentia unius in alio, quod pertinet ad perfectionem causæ, quidquid sit de connexionem dependentiæ ex parte causæ, quod pertinet ad imperfectionem, et inferioritatem causæ.

XI. Confirmatur autem, et declaratur hoc amplius, quia licet essentia divina non sit connexa connexionem dependentiæ cum creaturis possibilibus, ita ut quamvis creaturæ non essent possibles adhuc non destrueretur Deus, tamen hoc est essenziale et intrinsecum Deo, quod habeat in se sufficientem vim ad producendum illas sub conditione,

si sint possibles: nam si posita ista conditione possibilitatis Deus caret vi producendi illas, sine dubio maneret imperfectissimæ virtutis, atque adeo non esset Deus: ergo adhuc destructa possibilitate creaturarum, penetrans divinam essentiam videbit, quod habet vim producendi lapidem, si lapis sit possibilis, habet ergo divina essentia vel potentia sufficientem rationem manifestandi lapidem, vel aliam creaturam sub illa conditione, si non sit impossibilis, si quidem sub illa conditione est essenziale Deo et necessario connexum cum illo habere vim ad producendam talem creaturam. Et tamen constat, quod veritas divina est firmior et perfectior quam illa veritas conditionata, si talis, vel talis creatura sit possibilis, quia etiam ut conditionata, est veritas creata, ergo si non repugnat divinam essentiam medium et rationem cognoscendi creaturas sub conditione si sint possibles, ergo etiam est sufficiens medium manifestandi, quod creaturæ de facto et sine conditione sint possibles, quia hoc ipsum quod est de facto esse possibles etiam est veritas creata, et participata a Deo.

XII. Respondebis potentiam divinam esse indifferentem ad hoc quod res illa sit possibilis, vel impossibilis, quia de se solum dicit potentiam infinitam, et omnino absolutam, quæ omne possibile complectitur. Quod vero aliquid de facto sit possibile vel repugnans sumitur ex prædicatis intrinsicis creaturæ, et ad utrumque est indifferentis omnipotentia, unde non potest alteram partem determinate manifestare. Ad illam vero conditionalem, si hoc non sit impossibile Deus potest illud producere, non est indifferentis divina essentia, sed de se omnino determinata, et ita potest illam repræsentare.

XIII. Sed contra est, quia vel omnipotentia Dei est determinata ad illam conditionalem ratione alicujus connexionis, et dependentiæ divinæ veritatis ab illa conditionali; ita quod si illa deficeret, essentia divina deficeret, vel non. Si primum, ergo fatentur veritatem divinam dependere vel necessario connecti cum aliqua veritate, et possibilitate creata: nam illa conditionalis seu possibilitas conditionata si lapis est possibilis, veritas creata est, seu possibilitas creata cum sit possibilitas creaturæ sub conditione, ergo determinatio omnipotentia Dei erga istam veritatem est aliquid dependens a possibilitate conditionata creaturæ, seu connexum cum illa, et sic aliqua veritas divina, scilicet determinatio omnipotentia connexionem per se habet cum aliqua veritate creata, illamque potest manifestare, et sic idem dicemus de veritate possibilitatis non conditionata, quod scilicet illam non est indifferentis, sed per se determinata omnipotentia. Si dicatur secundum, ergo cum divina potentia sit manifestativa illius veritatis conditionatæ cum sit determinata ad illam, non obstante quod non habet dependentiam, neque connexionem cum illa, cur etiam non dicemus quod eadem omnipotentia potest esse medium manifestandi possibilitatem creaturarum quam habent de facto absolute et sine ulla conditione? Si quidem ad manifestationem conditionatam quæ etiam veritas creata est, dependentia illa non requiritur.

XIV. Quare quando ex aliqua causa prius cognita demonstratur vel manifestatur effectus, nullo modo ad id conducit dependentia causæ ab effectu, sed sufficit virtus et continentia effectus, qua reddit effectum dependentem a se, et connexum sibi, etsi causa ipsa depen-